

ROGERII BACHONIS
DE ALCHEMIA LIBELLVS,
CUI TITULUM FECIT, SPECU-
lum Alchemiæ.

PRÆFATIO.



ULTIFARIAM multisque modis loquebantur olim Philosophi per sua scripta, cum eluti in ænigmate, & quasi nebulosa voce scientiam quãdam præ cæteris nobilem, nobis penitus obumbratam reliquerunt, & sub desperationis velo negatam omnino, & hoc non sine causa. Quare ego præcipio, ut præ omnibus aliorum scriptis, super ista septem capitula, transformationem metallorum in se continentia, mentem tuam firmiter fundes, & eorum principium, medium & finem sæpius in corde revolvās, & subtilitatem talem in eis invenies, qua adimplebitur animus tuus.

DE DIFFINITIONIBVS ALCHEMIAE.

CAPUT. I.

IN pluribus antiquorum codicibus plures inveniuntur istius artis diffinitiones, quarum intentiones nos in hoc capitulo considerare oportet: nam Hermes de hac scientia dicit, Alchemia scientia corporea ex uno, & per unum simpliciter composita, preciosiora ad invicem per cognitionem & effectum conjungens, & eadem naturali commistione in genus melioris convertens. Alius quidam dicit: Alchemia, est scientia docens transformare omne genus metalli in alterum: Et hoc per medicinam propriam, sicut patet in multis Philosophorum libris. Quare Alchemia, est scientia docens facere, & generare quandam medicinam, quæ Elixir nuncupatur, quæ quando projicitur super metalla, seu corpora imperfecta, perficit ipsa completè in momento projectionis.

(*)

De